



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

XII. De præmiis quæ cadunt sub meritum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

non potuerunt antiqui Patres accipere gratiam ex Christi meritis; cum nondum esset Christus cui fieret promissio. *Respondeo* non sequi, nam sicut meritum Christi movere potuit, etsi nondum existeret nisi in praevisione Dei, ita etsi nondum essent conditiones ad illud necessariae.

Dices 3. Promissio Dei est extrinseca operi; quare non facit ut sit meritorium, sicut neque ut sit bonum. *Respondeo* promissionem non tribuere operi dignitatem, ipsam tamen rationem meriti in eo complere, quatenus facit ut operans habeat jus in praeium, quod alias non haberet.

CAPUT XII.

De premiis quae cadunt sub meritum.

RESOLUTIO I. *Non potest peccator mereri de condigno gratiam sanctificantem, potest tamen eam mereri de congruo.*] PRIMA PARS PROBATUR, tum ex verbis illis Concilii Trid. *sess. 6. cap. 8.* Gratis justificari à Deo dicimur, quia nihil eorum quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.

Tum quia si peccator de condigno meretur gratiam hoc fit per dispositiones ad illam; at ejusmodi dispositiones ad id non sufficiunt, cum illae, vel sint remotae, vel proximae; & priores, tempore praecedant gratiam; ac proinde sint opera hominis Deo exosi, qui nihil apud eum condignè mereri potest ex supra dictis: posteriores verò etsi non tempore, saltem natura antecedant gratiam, sicque sint actus peccatoris, & inimici Dei meriti incapaces.

Dices, cum in eodem instanti reali ultima dispositio informetur à gratia, ea poterit ut sic mereri aliquid de condigno. *Verum* quicquid de hoc sit, non sequitur actum illum mereri de facto eam gratiam qua formatur; cum de lege ordinaria principium meriti non cadat sub meritum. Unde etiam collige peccatorem non mereri de condigno remissionem

peccatorum, cum hæc non fiat nisi per gratiam sanctificantem.

Secunda pars ostenditur, nam cum per actum contritionis, vel amoris Dei super omnia peccator se optimo modo disponat ad consequendam gratiam, & ad emergendum è statu peccati, hoc sufficit ut Deus etsi non ex aliqua obligatione, tamen ex congruitate & decencia teneatur illi gratiam infundere: sicut decens est ut homo valde dives pauperem juvet, qui mediis licitis ad honestum statum è quo dejectus est, redire conatur. Et hoc confirmari potest ex Patribus, qui passim peccatoribus poenitentibus tribuunt aliquod meritum, respectu remissionis peccatorum; id enim intelligendum est de merito congruo, cum de condigno strictè sumpto explicari non possit.

Dices, gratia sanctificans gratis tribuitur ex anteceditis; ergo non ex merito. *Respondeo* non sequi agendo de merito congruo, quia cum hoc non inducat obligationem, cum liberali & gratuita donatione consistere potest, ut ex allato exemplo facile intelligitur.

Neque dicas Deum teneri facere quidquid decens est, hoc enim falsum esse vel ex eo constat, quia si Deus salvaret omnes homines, aut crearet alios mundos, hoc per se loquendo valde decens esset: neutrum tamen facit, quia suppetant causæ nobis ignotæ, cur id non faciat.

RESOLUTIO II. *Justus potest mereri de condigno augmentum gratiæ sanctificantis, idque per actus etiam habitu gratiæ remissiores.*] PRIMA PARS PROBATUR, tum ex Concil. Trident. sess. 6. can. 12. ubi anathema dicitur ei qui negaverit, justificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, &c. tum quia opus hominis justus potest habere omnes condiciones ad meritum de condigno necessarias, nempe libertatem, honestatem, & alias de quibus supra.

Secunda pars ostenditur primo ex Trident. jam citato,

citato, quod agit generatim de bonis operibus iusti, quæ ab eo per Dei gratiam, & Christi meritum fiunt: at opera charitatis habitu remissiora sunt bona, fiuntque per Dei gratiam, & Christi meritum.

Deinde meritum de condigno fundatur in dignitate specifica & substantiali operis; quæ petenda est ex ordine ad objectum illius: ex intensione verò in se spectata, sumi potest tantum quidam accidentarius valor operis: quòd autem actus sit intensior, aut remissior habitu charitatis, hoc planè impertinens est ad dignitatem moralem ipsius actus: aliàs sequeretur actum ut quatuor, esse meritorium in habente gratiam ut tria, actum verò ut novem, nihil mereri in habente gratiam ut decem, quod certè ridiculum.

Nota 1. Et si habitus naturales, vel acquisiti non augeantur nisi per actus intensiores, supernaturales tamen augeri per actus remissiores: & ratio discriminis est, quia actus naturales concurrunt physicè ad productionem, & augmentum habituum naturalium: actus verò supernaturales non nisi moraliter, & meritoriè ad productionem, & augmentum supernaturalium, movendo Deum ut eos in nobis producat, vel augeat.

Nota 2. Augmentum gratiæ respondens actibus remissis, tribui homini statim in hac vita. Deus enim fidelis est in servandis promissis, quare cum promiserit iusto augmentum gratiæ, ex hypothesi quòd bene operetur, nulla ratio est cur tali conditione posita, præmium promissum in aliud tempus differat, præsertim cum tunc iustus illius capax sit.

Ac multò minus credibile est quod aliqui dicunt, iustum mereri quidem augmentum gratiæ, & gloriæ per actus habitu remissiores, nunquam tamen illud recipere, nisi per actum intensiorem ad hoc se disponat; sic enim ut alia præteream, sequeretur eum qui post totam vitam in flagitiis actam, ad Deum converteretur unicum actum charitatis ut 6. fore æquè essentialiter beatum, ac illum qui cum unico charita-

charitatis actu intenso, ut 6. innumeros alios actus bonos cujuscunque generis, sed remissiores edidisset.

RESOLUTIO III. *Proprie loquendo non potest justus mereri de condigno, aut etiam de congruo perseverantiam.* PRIOR PARS PROBATUR, nā hīc per perseverantiam intelligimus auxilia omnia pravenientia, & comitantia per quā justus perseverat in gratia divina, usque ad finem vitæ, quæque à puncto justificationis illi tribuuntur. At quòd nequeat justus omnia illa auxilia condignè mereri patet, tum quia ut mereatur debet habere auxilium efficax prævium ad opus meritorium quodque sit causa illius; quare tale auxilium de lege saltem ordinaria mereri nō potest; tum quia etsi prævius sit tali auxilio, non potest de condigno mereri reliqua, quia aliās jam certus esset de sua perseverantia, neque ab ea unquam excidere posset, quantumcunque illius vita protraheretur; quod tamen admitti non potest.

Posterior pars ostenditur, nam etiam ad meritum de congruo prærequiritur auxilium efficax, quod proinde sub illud cadere non potest; quare cum perseverantia ut à nobis jam accipitur, complectatur omnia auxilia quæ tribuuntur justo ab instanti justificationis; repugnat quòd justus per opera quæ post adeptam justitiam elicit, eam vel de congruo mereatur.

Dices Augustinum oppositum docere lib. de Dono perseverantia cap. 6. cum ait, hoc ergo Dei donum (scilicet perseverantiam) suppliciter emereri potest. Respondeo Augustinum non loqui de perseverantia in dicto rigore, sed tantum velle, hominem justum prævium jam auxiliis gratiæ, posse de cætero mereri ex congruitate, alia auxilia ad perseverandum necessaria.

Quod adhuc non ita intelligi debet, ut justus per unum, aut alterum actum bonum mereatur de congruo omnia auxilia, quæ ad perseverandum toto, eoque

eoque diuurno vitæ tempore sunt necessaria; sed ita ut per aliquem actum bonum possit impetrare auxilium ad alium actum, & per hunc ad tertium, sicque deinceps usque ad finem vitæ. Iste enim modus obtinendi perseverantiam successivè, & veluti per partes, ut & magis ordinarius est, ita minùs patet iis incommodis quæ contra alium urgeri possunt.

RESOLUTIO IV. *Etsi justus non possit de condigno mereri reparationem post lapsum, ex probabili tamen sententia potest eam interdum mereri de congruo.*] **PRIOR PARS PROBATUR,** tum quia ex dictis, non potest justus condignè mereri ne cadat; ergo multò minùs ut resurgat post lapsum; tum quia non potest justus mereri reparationem post lapsum, nisi per opera bona quæ exercet, quamdiu justus est: illa autem opera omnia superveniente peccato lethali mortificantur, ut loquuntur Theologi, ita ut quamdiu status ille durat, non habeant proximè jus justitiæ erga Deum. Quare sicut justus non potest mereri de condigno ut Deus illi conferat gloriam, etsi postea in peccatum labatur; ita neque quòd tunc eum in suam amicitiam recipiat.

Posterior pars ostenditur, quia interdum accidit ut justus, post longam in exercitio bonorum operum perseverantiam, gravi aliqua tentatione devictus cadat in peccatum mortale: tunc autem est valde credibile, Deum ob tot præcedentia hominis merita moveri, ad conferendam illi gratiam efficacem, per quam à peccato resurgat. *Confirmatur,* nam ut plurimum ejusmodi homines à peccato suo resurgunt, adeoque recipiunt auxilium efficax ad conversionem, citius quàm alii, cujus discriminis ratio ex eorum meritis antecedentibus non incongruè sumi potest.

Nota hanc doctrinam non debere extendi, ad omnes qui à peccato resurgunt; cum plerique post adeptam gratiam facile in peccata ruant, & bona opera quæ ante lapsum exercet, non tanti momenti sint ut
Deum.

Deum, vel ex congruo moveant ad conferenda illis auxilia gratiæ, per quæ à peccato resurgant.

Verum quòd nullus possit sibi etiam de congruo, mereri reparationem post lapsum, ea ratione à fortiori probatur; quia nequidem justus potest alteri in peccato exilienti mereri primam gratiam, propter impedimentum peccati. *Respondet*, hanc suppositionem negari posse; cum omnes communiter sentiât, viros sanctos pro peccatoribus orantes, iis obtinere gratiam per quam convertantur; dictumque illud Augustini in omnium ore versetur, nisi orasset Stephanus, Ecclesia Paulum non haberet.

RESOLUTIO V. *Probabile est posse hominem mereri de condigno primam gloriam, per actum illum quo extra Sacramentum ultimate ad gratiam habitualement disponitur.*] **PROBATUR 1.** quia etsi ejusmodi actus spectatus ut naturâ antecedit gratiam habitualement, non possit esse de condigno meritorius, quia sic est opus peccatoris: ut tamen in sequenti signo naturæ conjunctus est cum gratia sanctificante, & ab ea formatus, nil vetat quin de condigno mereatur primam gloriam: cum sit actus liber, honestus, supernaturalis, & hominis jam Deo grati, &c.

Probat 2. Quia aliàs sequeretur; nullum beatum totam gloriam ex meritis consequi: quod sane quicquid dicant aliqui, non valde coheret cum Concilio Tridentino *sess. 6. can. 32.* statuente, justificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & augmentum gloriæ; ubi per vitam æternam, quam distinguit & ab augmento gloriæ, non nisi ipsam primam gloriam essentialem intelligere potest. Sequela ostenditur, quia omnium consensu homo non meretur primam gloriam per actus antecedentes, aut subsequentes justificationem.


Dices 1. Homo non meretur primam gratiam habitualement, ergo nec primam gloriam illi respondentem. Non sequitur, quia non repugnat quod gloria debeatur homini, & titulo hæreditatis
propter

propter gratiam, & titulo meriti propter opus bonum.

Dices 2. Quando iustus accipit ex merito augmentum gratiæ, non propterea opus illius fit magis meritorium: ergo similiter actus contritionis per gratiam advenientem non augetur in ratione meriti. Verum non est par ratio, quia in priori casu actus iusti supponit gratiam sanctificantem, à qua suam dignitatem accepit, in posteriori verò gratia sanctificans non præcessit: quare non mirum est, quod ea quæ advenit opus ipsam dignificet in ordine ad primam gloriam. Et hæc de Idea Theologiæ speculativæ, ad majorem JESU CHRISTI, Virginisquæ DEIPARÆ gloriam, satis. Super est ut illud usurpemus ex August. in fine librorum de Trinitate.

Domine Deus unus, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui: si quæ de meo, & tuis ignosce, & tui. Amen.

F I N I S.



INDEX